

DISTINCTIO II

Absolutissima totius operis divisio et praesentis distinctionis perspicua subdivisio, in qua Magister aggregitur propositum negotium; agere nempe de Sacrosancto Misterio trinitatis.

HOC ITAQUE etc. Postquam Magister in prima distinctione tetigit materiam istorum quattuor librorum et insinuavit ordinem dicendorum, modo prosequitur de dicendis. Et quia tractanda in ista scientia sunt res et signa, ideo Magister primo tractat de rebus. Secundo de signis. Secunda pars incipit ibi: *Samaritanus autem*. Res vero sunt multiplices, quia quaedam sunt fruibiles, quaedam utibiles, quaedam utibile et fruibile simul in se concludentes. Et secundum hoc prima pars dividitur in tres partes, quia primo tractat de fruibilibus. Secundo de utibilibus. Tertio de fruibili et utibili modo admirabili in eodem concurrentibus. Secunda incipit ibi: *Creationem rerum*. Tertia ibi: *Cum venit ergo plenitudo*. Prima dividitur in duas partes, quia primo Magister determinat de Deo quantum ad ea, quae sibi conveniunt intrinsece. Secundo, quantum ad ea, quae conveniunt sibi aliquo modo etiam extrinsece, puta per modum causae ibi: *Cumque supra* etc. Prima in duas, quia primo tractat de Deo et suis perfectionibus intrinsecis. Secundo de nominibus, huiusmodi perfectiones exprimentibus, ibi: *Post praedicta differendum*. Prima dividitur in tres, quia primo determinat de Deo quantum ad essentiae unitatem, et personarum trinitatem. Secundo, quantum ad personalis originis, et distinctionis alietatem. Tertio, quantum ad maiestatis aequalitatem. Secunda pars incipit ibi: *Hic oritur quaestio*. Tertia ibi: *Nunc postquam* etc. Prima in duas, quia primo Magister ostendit divinae essentiae unitatem et personarum trinitatem ex Sacrarum Scripturarum auctoritate. Secundo ratione sumpta ex creaturarum similitudine ibi, *Apostolus namque* etc.

Prima in duas, quia primo Magister instruit et informat lectorem istius scientiae et universaliter Sacrae Scripturae. Secundo, de essentiae divinae unitate et personarum trinitate incipit determinare ibi: *Proponamus ergo in medium*. Prima dividitur in tres partes, quia primo Magister ostendit quod studens Sacrae Scripturae debet virtutibus pollere. Secundo insinuat quid debet praesupponere et firmiter tenere. Tertio quem modum procedendi universaliter debet habere. Secunda ibi: *Omnes autem catholici*. Tertia ibi: *Ut in libro primo De Trinitate*. Tunc sequitur illa pars. Proponamus ergo in medium et dividitur in duas partes, quia primo auctoritatibus Veteris Testamenti ostendit essentiae divinae unitatem. Secundo, divinarum personarum ostendit trinitatem, ibi: *Personarum quoque pluralitatem*. Circa istam litteram quaero. [91a] *

Quaestio I

An possit demonstrative concludi, unum tantum Deum esse?

In hoc quidem quaesito optime improbatur Deorum pluralitas, tam secundum numerum, quam secundum speciem, genus et analogiam. Hinc unum dumtaxat Deum esse necessaria ratione comprobari potest.

UTRUM POSSIT demonstrative probari, unum tantum Deum esse? Et videtur quod non, quia illud non possumus demonstrare esse, cuius esse non possumus cognoscere. Sed esse Dei non possumus cognoscere, ergo etc. Maior patet. Probo minorem, quia quid est Deus impossibile est nos scire secundum Damascenum libro I. Sed esse Dei idem est quod quidditas Dei, ergo impossibile est nos scire esse Dei. Et quia ens et unum convertuntur, ergo, si non possumus probare esse Dei, non poterimus probare unitatem Dei, ergo etc. CONTRA: Illud, quod potest probari necessaria ratione, potest demonstrari. Sed unum Deum esse potest probari necessaria

ratione, ergo etc. Maior patet primo Posteriorum. Omnis enim syllogismus, vel est demonstrativus, vel dialecticus, vel sophisticus. Sed demonstrativus est ex necessariis, ergo etc. Minor patet 2. Metaphysicae ubi probatur necessariis rationibus, quod in omni genere causae est devenire ad unum principium. Sed Deus est causa finalis omnium, ut probatur 12 Metaphysicae¹ ergo est dare unum solum Deum, sicut est dare unum solum ultimum finem. IN ISTA quaestione ponam quattuor conclusiones negativas, ex quibus tandem inferam unam affirmativam. Prima est quod non possunt esse plures Dii solo numero differentes. Secunda, quod non specie. Tertia, quod non genere. Quarta, quod non analogia.

DICO ERGO PRIMO quod impossibile est esse plures Deos solo numero differentes, quia illud, quod est purus actus, non potest sub eadem specie numero multiplicari. Sed Deus est purus actus. Maior patet 12 Metaphysicae² ubi dicitur quod *quaecunque sunt plura numero in eadem specie, multam habent materiam*.

ET SI ISTA propositio secundum aliquos pateretur calumniam de materia proprie dicta, quia dicerent caelos esse eiusdem speciei, in quibus negant materiam, etiam non repugnat plures Angelos esse secundum aliquos in eadem specie, qui tamen carent materia, tamen nullus dubitare potest, quin omne quod multiplicatur numero in eadem specie, vel simpliciter habeat materiam partem sui, vel saltem habet suum yleachim, id est suum materiale, sive potentiale; in puro autem actu, nec est materia, nec aliquid materiale, sive potentiale. Sed Deus est purus actus, ut patet 12 Metaphysicae³ et 8 Physicorum.⁴ 2. Praeterea, si essent duo Dii numero differentes in eadem specie, tunc essent infiniti Dii in eadem specie. Consequens est falsum apud omnes. Probo consequentiam, quia nulla species plura habens individua, ex se et per se est limitata et determinata ad certum numerum suorum individuum, nisi enim per agens, vel per finem, sive per aliquam extrinsecam causam determinetur ad huiusmodi certum numerum, ex se indeterminata manet, quia quantum est de se, qua ratione multiplicatur per duo individua, eadem ratione est possibile, ipsam multiplicari per infinita individual. Sed in perpetuis non differt esse et posse, ut dicitur 3 Physicorum.⁵ Cum ergo natura divina sit perpetua nec possit determinari per aliquam causam superiorem, quia tunc non esset divina, ergo patet consequentia, puta si essent duo Dii in eadem natura, quod [91b] * essent infiniti. 3. Praeterea, illud, quod de se est omnino necesse esse, hoc ex se sine omni additamento est singulare, nec per consequens plurificabile. Sed Deus est ex se omnino necesse esse, quia, si necessitas sui esse dependeret ab alio, tunc ipse non esset Deus, sed illud a quo dependeret. 4. Praeterea, confirmo hoc idem sic, quia si essent plures Dii, aut different in aliquot, aut in nullo. Si in nullo, ergo non plures Dii, sed unus Deus. Si in aliquot, illud vel est necesse esse, vel possibile esse. Non primum, quia necesse esse est de formali et intrinseca ratione ipsius Dei. Nec secundum, quia ille, qui includeret hoc possibile, esset compositus ex possibili et necessario, et per consequens non posset esse Deus, cum Deus sit omnino simplex substantia, ut patet 12 Metaphysicae⁶

QUANTUM ad secundum principale dico quod non possunt esse plures Dii specie differentes, quia, quaecunque conveniunt genere et differunt specie, sunt composita ex genere et differentia. Sed huiusmodi compositio repugnat Deo, ergo etc. Maior patet. Probo minorem, quia, ut patet

¹ Com. 13 tex. c. 37

² Tex. c. 49

³ Tex. c. 30. 37

⁴ Tex. c. 86

⁵ Tex. c. 32

⁶ Tex. 37

7 Metaphysicae⁷ genus dicit quid potentiale, differentia vero quid actuale, ergo quicquid componitur ex genere et differentia, componitur ex actuali et potentiali, quod Deo repugnat, a quo omnis passiva potentialitas relegatur, ut patet 12 Metaphysicae⁸ 2. Praeterea, si essent duo Dii naturaliter distincti, aut uterque esset omnipotens, aut alter tantum, aut neuter. Si tertio modo, tunc neuter esset Deus. Si secundo modo, tunc alter tantum esset Deus. Si primo modo, tunc vel ambo concurrerent ad productionem eiusdem effectus, et tunc alter superflueret, cum unus Deus omnipotens possit producere totum effectum; vel unus resisteret alterius productioni, et tunc vel aequae potenter se haberent, vel alter vinceretur. Si primo modo, tunc effectus simul procederet secundum omnipotentiam resistentis. Si secundo modo, tunc victus non esset Deus. 4. Praeterea, si essent duo Dii, aut unus intelligeret alium, aut non intelligeret eum, sed utrunque est impossibile, ergo etc. Maior patet per immediatam, sive contradictoriam divisionem. Minorem probo. Non enim potest dici, quod hic Deus illum Deum non intelligat, quia beatificum obiectum verum Deum latere non potest, sed verus Deus est beatificum obiectum. Nec potest dici quod ipsum intelligat, quia aut cognosceret eum per essentiam suam, scilicet cognoscentis, aut per essentiam ipsius cogniti. Si primo modo, tunc contineret illum alium eminenter, et per consequens ille alius non esset Deus. Si secundo modo, tunc perficeretur ab alio, cuius essentia esset sibi ratio recipiendi actum intelligendi, et tunc ipse cognoscens non esset Deus. 4. Praeterea, formae specificae se habent sicut numeri, ut dicitur 8 Metaphysicae⁹, ergo impossibile est esse duos Deos specificiter differentes aequae perfectos. Consequentia patet, quia impossibile est dare duos numeros ab unitate aequae distantes. Ille ergo, qui minus perfectus esset, Deus esse non posset.

QUANTUM ad tertium principale dico quod impossibile est esse plures Deos genere differentes, quia aut quilibet illorum deorum includeret tantummodo perfectiones sui determinati generis, aut uterque includeret perfectiones cuiuslibet generis, aut unus includeret omnium perfectiones, et alter limitatas et determinatas perfectiones. Si primo modo, tunc neuter erit Deus, quia dicitur 5 Metaphysicae. *Est enim quoddam ens perfectum universali perfectione, habens in se perfectiones omnium generum.* Quod quidem ens Commentator ibidem dicit esse Deum. Si secundo modo, tunc uterque includeret omnes perfectiones alterius Dei, et per consequens naturam illius, et sic [92a] * erunt unus solus Deus. Si tertio modo, tunc ille universaliter perfectus tantummodo erit Deus et non alter. 2. Praeterea, quaecunque genere differunt, si unum est substantia, alterum necessario est accidens. Sed Deus non potest esse accidens, ergo etc. Maior patet, quia praedicamentum substantiae est unum tantum. Minor est nota, quia non solum Deus non est accidens, sed nec in Deo possibile est esse accidens, ut patet per Boethium in suo libro De Trinitate.

QUANTUM AD QUARTUM dico quod impossibile est tales Deus differre analogia, quia quae sic differunt quod in nullo penitus conveniunt, illa nullatenus esse possunt. Sed quae differunt analogia in nullo penitus conveniunt, ergo etc. Maior patet 13. De divinis nominibus ait Dionysus quod *omnis multitudo aequaliter participat aliquo uno.* Et ibidem ostendit, quod *nulla adeo sunt diversa, quin saltem conveniunt analogia.* Et eandem sententiam ponit Proclus in sua prima propositione. Unde etiam 4 Metaphysicae¹⁰ dicitur *quod non habet esse unum, non habet esse, tales ergo Dii nullo modo esse possent, eo quod in nullo convenirent.* 2. Praeterea, quicquid est extra analogiam entis realis, quod est commune decem Praedicamentis, vel est totaliter nihil, vel, si est aliquid, est purum ens rationis. Sed, si duo Dii differrent universali analogia, alter eorum esset extra analogiam entis realis. Ergo, vel esset nihil, vel tantummodo

⁷ Tex. c. 43

⁸ Tex. c. 30

⁹ Tex. c. 10

¹⁰ Tex. c. 10

ens rationis, quorum utrumque est inconueniens. FORTE DICETUR quod non differunt analogia universali, sed analogia speciali. Sic analogia sanorum differt ab analogia calidorum, sive colorum. ILLUD NON VALET, quia quaecunque differunt analogia speciali, ista conueniunt analogia universali, licet enim sana in sua analogia differant a calidis, tamen utraque conueniunt in analogia entis. Sed quaecunque conueniunt in una analogia, quamviscunque universali, vel unum habet attributionem ad alterum, vel ambo ad tertium, propter quod semper oportet devenire ad unum primum. Nec instantia est ad propositum, quia praecise loquebar de analogia universali, quae potest esse communis his, quae differunt genere, sicut patuit ex deductione, quam feci per articulos praecedentes, in quibus semper processu de minus communi ad maius commune. SED CONTRA praedicta est opinio Manichaeorum et aliorum multorum haeticorum, quorum pestifera nequitia foetere percipitur quoque usque in praesentem diem. Ponunt enim dicti haetici unum esse Deum omnium bonorum, et alium esse Deum omnium malorum. Et ex dictis eorum multipliciter potest argui. Primo sic. Tale per participationem praesupponit tale per essentiam. Sed est dare bonum et malum per participationem, ergo erit dare bonum et malum per essentiam. Sed quod est tale per essentiam, hoc ipsi dicunt Deum, ergo etc. 2. Praeterea, ubicunque est dare causam secundam, ibi est dare causam primam, quia secundum non dicitur, nisi in ordine ad primum. Sed est dare secundam causam moventem ad malum, ergo et primam et hoc erit Deus malorum. 3. Praeterea, aliqui statim nati, habent convolutam malitiam, talium ergo non poterit esse bona causa, nec per consequens bonus Deus. 4. Praeterea, si unum contrariorum est in natura et reliquum, ut dicitur 2 Caeli et mundi¹¹: *sed summum bonum et summum malum sunt contraria, cum ergo summum bonum sit, puta boni Dei bonitas, ergo et summum malum est*. 5. Praeterea, ubicunque est dare magis et minus, ibi est dare simpliciter, ut dicitur 4 Metaphysicae¹² sed est dare magis malum et minus malum, ergo sicut est dare summum, sive simpliciter bonum, eo quod est dare magis et minus bonum, sic etc. FORTE DICERET aliquis, quod dato quod esset summum malum, adhuc non esset per se, sed dependeret a summo bono, et per consequens [92b] * non esset Deus. RESPONDERET Manichaeus quod impossibile est summum malum, vel fieri, vel dependere a summo bono, quia semper illud, a quo aliquid dependet, comprehendit in seipsum dependens, aut formaliter, aut virtualiter. Sed bonus Deus nec comprehendit in se summum malum formaliter, quia tunc esset summe malus et maxime contraria essent simul formaliter in eodem, nec virtualiter, quia quod est virtualiter tale potest alterum facere formaliter tale. Ergo optimus Deus posset pessime facere, quod est oppositum in adiecto, quia malis operibus efficimur mali, ut patet in 2 libro Ethicorum.¹³ SIMILITER contra supradictam veritatem est opinio Aristotelis qui secundum distinctionem personarum, distinxit divinam essentiam, et per consequens plures habuit ponere Deos essentialiter differentes. 1. Poterat autem moveri istis sophismatibus. Relationes oppositae realiter distinctae non possunt simul fundari in eodem indivisibili fundamento. Hinc est, quod relatio identitatis, eo quod non habeat fundamentum realiter distinctum, est relatio rationis, ut patet 5 Metaphysicae¹⁴ sed in essentia divina fundantur relationes oppositae realiter distinctae. 2. Praeterea, id quod praedicatur de pluribus realiter differentibus, non potest esse realiter unum. Sed essentia divina praedicatur essentialiter de tribus personis realiter differentibus, ergo etc. 3. Praeterea, id cuius essentia et esse sunt penitus idem, si multiplicatur eius esse, et essentia diversificatur. Sed in divinis esse et essentia sunt penitus idem, et esse diversificatur, quia dicit Augustinus 5 De Trinitate:¹⁵ *Diversum est esse Patrem et esse Filium*, ergo videtur sequi quod diversa sit essentia, quia eodem libro et capitulo dicitur, quod *sicut a sapiente dicta est sapientia, sic ab esse essentia*. 4. Praeterea, ista est falsa in divinis, nullum generans est

¹¹ Tex. c. 18

¹² Elicitive ex tex. c. 8

¹³ Cap. 8

¹⁴ Tex. 20

¹⁵ Cap. 5 tom. 3

essential, quia Pater non esset essential. Ergo ista est falsa in divinis, nulla essentia est generans, cum universalis negativa simpliciter convertatur, ut patet ex 1 Libro Priorum, ergo haec est vera in divinis, quaedam essentia est generans, quia lex contradictoriarum est talis, quod si una est falsa, alia erit vera, et econverso, ut patet primo *Peri hermeneias*¹⁶. Sed nihil generat seipsum, ut patet 2 De anima,¹⁷ et per Augustinum saepius in 1 libro De Trinitate.¹⁸ Ergo divina essentia generabit aliam divinam essentiam. 5. Praeterea, quorum est unum et idem esse, plurificato uno plurificatur et reliquum. Sed relatio in divinis cum essentia habent unum et idem esse, ergo plurificata relatione plurificatur et essentia. 6. Praeterea, substantia in divinis plurificatur. Sed essentia est idem quod substantia, ergo etc. Maior patet per Hilarium in libro De Trinitate, ubi vult quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt per substantiam tria, et per consonantiam unum. 7. Praeterea, ab eodem res habet esse et distinctum esse. Sed relatio habet esse reale a fundamento, ergo habebit distinctum esse a fundamento, cum ergo nihil dat, quod non habet, videtur quod praeintelligatur distinctum esse reale in fundamento. POSSET etiam argui contra praedictam veritatem physice sic. Non minus potens est lux spiritualis, quam lux corporalis. Sed lux corporalis producit lucem corporalem in natura distincta a sua natura, ergo. 2. Praeterea, unumquodque tunc perfectum est, cum potest sibi simile generare, ut dicitur 4 Meteororum¹⁹. Sed essentia divina est perfectissima, ergo etc. 3. Praeterea, idem manens idem semper facit idem, 2 De generatione²⁰, ergo videtur quod diversitas causatorum arguat diversitatem deorum, maxime loquendo de talibus causatis, quae non possunt produci, nisi a Deo. 4. Praeterea, multitudo quaelibet participantium arguit unum ens simpliciter, quod participant. Sed in omni genere est multitudo participantium, ergo in omni genere uno, erit unum ens simpliciter ab aliis participatum, tale appellat Proclus Deum. Ergo tot erunt Dii, quot sunt genera. SED ISTA non con-[93a]-cludunt, quia isti diversi Dii, vel differrent in natura, et tunc ille, qui non haberet divinam naturam, non esset Deus, vel essent eiusdem naturae, et tunc essent unus Deus, quia inseparatis a materia unius naturae est unum esse. Praeterea, omne quod movetur ab alio movetur. Cum ergo in per se moventibus causis non sit processus in infinitum, oportet nos devenire ad unum motorem totaliter immobilem, ut concluditur 8 Physicorum²¹ et 12 Metaphysicae²² Entia enim nolunt male disponi, et mala est pluralitas principantium, unus ergo princeps ut concluditur 12 Metaphysicae. Ad solutionem autem sophismatum adductorum pro Manichaeo est sciendum quod error Manichaeorum multum ex hoc procedebat, quod credebant malum esse quandam substantiam et naturam positivam, et per consequens quodlibet malum particulare haberet causam per se et efficientem positive, cuius oppositum totaliter ponere debuerunt; quia malum est privatio boni, et quia privatio de se est non ens, ut dicitur primo Physicorum, ergo malum non requirit causam efficientem, sed deficientem. Propter quod Dionysius 4 *De divinis nominibus* ait, quod *malum nec est existens, id est substantia, nec inexistens, id est accidens*. Et ideo ait beatus Augustinus 12 De civitate Dei²³: *Nemo ergo quaerat efficientem causam malae voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens; nec illa, scilicet mala voluntas ut est mala est effectio, sed defectio*. Et sequitur ibidem: *Sic causatur malum, ut auditur silentium et videtur tenebra*. Videre autem tenebram non est aliquid videre, sed a videndo deficere, et audire silentium non est aliquid audire, sed magis ab audiendo deficere. Sic malum et inordinatio non est aliquid facere, sed ab ordine deficere et rectum ordinem a Deo, sive a natura institutum non servare. Ideo Augustinus dixit eodem capite, quod *hoc est incipere habere malam voluntatem, ab eo deficere, quod summe est*. HIS PRAEMISSIS

¹⁶ Cap. 6

¹⁷ Tex. c. 47

¹⁸ Cap. 6 tom 3

¹⁹ Tex. c. 19

²⁰ Tex. c. 56

²¹ Tex. c. 44

²² Tex. c. 56

²³ Cap. 7 tom. 5

immediate patent solutiones sophismatum praedictorum. Ad primum ergo dicendum quod maior est vera sub hoc sensu, quod omne esse per participationem praesupponit esse simpliciter, vel respectu cuius proficiat, vel a quo deficiat. Ad minorem dico quod malum praesupponit summum bonum, a cuius legibus deficit. Ad secundum eodem modo, quia non oportet quod detur aliquod primum, quod malum secundum participet positive, sed sufficit esse summum bonum, a quo deficiat privative. Ad tertium dicendum quod non est dare purum malum, quia si purum malum daretur seipsum destrueret, ut patet 4 Ethicorum²⁴ et ideo nullum malum est, quod ita habeat connatam malitiam, quin necessario fundetur in aliquo bono positivo. Verbi gratia, in fornicatione possumus duo considerare, quorum unum est positivum et habet causam efficientem, puta actio realis ipsius agentis, aliud privativum et habet causam deficientem, puta inordinatio, quae est a voluntate derelinquente legem Dei sui. Talis ergo malitia non habebit Deum pro causa efficiente, sed inordinatam voluntatem a Deo deficientem. Ad quartum dicendum, quod bonum et malum non opponuntur contrarie, sed privative. Privativa autem opposita apta nata sunt fieri circa idem subiectum vicissim et similiter contraria et ideo non opponitur Deo aliquid privative, nec contrarie, cum non sit aptus esse in aliquo subiecto. Ad quintum dicendum quod non datur maius et minus malum respectu summi mali, quia hoc esse non potest, sed tam bonum quam malum dantur respectu summi boni, primum ut accedens, secundum ut recedens; primum ut ad ipsum proficiens, secundum ut ab ipso deficiens. Sicut ait Augustinus contra Faustum, quod respectu eiusdem signi dicimur sagittare bene et male, ita quod non ponuntur duo signa, quorum respectu unius dicamur sagittare bene et respectu alterius male. Sed ad idem signum magis et magis attingentes, dicimur melius et melius sagittare et ab eodem magis et magis deviantes, [93b] * dicimur peius et peius sagittare, sic etc. Cum enim ipsum malum a nullo agente sit per se intentum, quia nullum agens respiciens ad malum agit quod agit, ut dicitur in *De divinis nominibus* non oportet sibi assignare causam efficientem, ut isti imaginantur. SED AD HOC forte diceret Manichaeus quod id, quod est per accidens intentum, contingit ut in * paucioribus et raro. Sed malum in hoc mundo contingit ut in pluribus, ergo videtur esse per se intentum. RESPONDEO quod instantia assumit duplex falsum, quia licet id, quod est a casu contingat ut in paucioribus et raro, ut patet 2 Physicorum, non oportet tamen quod omne per accidens intentum eveniat ut raro, nam nullum generans per se intendit corruptionem, et tamen tot eveniunt corruptiones, quot generationes, quamvis generationes sint per se intentae, alias non posset stare dictum Aristotelis 1 De generatione²⁵, qui ait: *generatio unius est corruptio alterius*. Assumitur etiam secundo falsum, cum dicitur quod plura eveniunt mala quam bona, quia nullum potest malum evenire, quin simul eveniat aliquod bonum, in quo fundetur illud malum. Unde, si eveniat aliquod malum moraliter, necessario oportet evenire aliquod bonum, vel moraliter, vel naturaliter. Etiam ex ipsis malis elicitur aliquod bonum, iuxta illud Augustini. *Omnipotens Deus non permetteret fieri aliqua mala, nisi adeo esset omnipotens, quod ex malis eliceret bona*. Ad motiva etiam deducta pro errore Arrii, inferius, cum illa materia specialiter tractabitur, responsio lucidior apparebit, ideo ad praesens brevius transeo respondendo. AD PRIMUM ergo dicendum quod maior non est vera, nisi quando fundamentum est finitum. Ad minorem dicendum quod divina essentia, cum sit infinita, simul potest fundare oppositas relationes. Alias invenitur sic. Ad primum dicendum quod maior non est vera, maxime quando fundamentum est infinitum, sicut est in divinis. Etiam illa maior patitur instantiam in creaturis. Nam quando intellectus intelligit se, tunc simul fundat relationes oppositas, scilicet intelligentis et intellecti. Ad secundum dicendum quod una absoluta essentia infinita potest sibi identificare plura realiter distincta re relata, et per consequens de ipsis potest praedicare manens totaliter indivisa. Ad tertium nego minorem. Ad probationem dico quod Augustinus non loquitur ibi de esse absoluto, quod est commune tribus, sed loquitur de esse relato, quod magis debet dici quoddam adesse, quam esse. Ipsum enim adesse plurificatur,

²⁴ Cap. 12

²⁵ Tex. c. 20

secundum quod plurificantur personae. Et ideo notanter dicit Augustinus: *Diversum est esse Patrem et diversum est esse Filium*, et non dicit absolute, *diversum est esse Dominum*, ut hoc dictum non intelligeretur de esse essentiae divinae, sed magis de adesse personae. Ad quantum dicendum quod praedicatione formali nullum generans ut generans, est essentia, quia generans ut generans est suppositum cui per se competit agere. Actiones enim sunt singularium, ut patet primo Metaphysicae. Praedicta ergo propositio est vera, quae in argumento dicebatur esse falsa, et per consequens sua conversa erit vera, et contradictoria conversae erit falsa, quae dicebatur esse vera. Sed praedicatione identica, tunc concessis omnibus praemissis, adhuc conclusio erit neganda, quia non sequitur, hoc est idem, quod generans, ergo generat. Nam illud solum generat, quod est formaliter generans, et non omne illud quod est identice idem, quod generans; et illud magis determinabitur infra, distinctione 5. Ad quintum posset negari maior, quia materia et forma faciunt aliquod unum esse quidditativum et tamen secundum aliquos, multae sunt formae substantiales eiusdem materiae, ipsa materia non multiplicata. Non curo tamen de hac solutione, quia illud, in quo fundatur, non reputo esse verum, et ideo dico quod maior est vera, si sic habent idem esse, quod habent etiam eundem modum essendi. Tunc ad minor dico quod, quamvis re-[94a]-latio habeat idem esse cum essentia divina, in quantum relatio comparata ad essentiam transit in essentiam, tamen relatio ut relatio non habet eundem modum essendi cum essentia, quia modus relationis ut relatio est ad aliud esse, sed modus essentiae est ad se esse, ratione quorum differentium modorum potest multiplicari relatio non multiplicata essentia. Ad sextum dicendum quod Hilarius non accipit hic substantiam pro essentia, sed pro hypostasi. Ad septimum dicendum quod, loquendo de relativis, tunc maior non est vera, quia dato quod relatio realitatem suam capiat a fundamento, tamen rationem suam quidditativam, et per consequens distinctivam, fortitur in ordine ad oppositum. AD PRIMUM physice introductum, concessa maiori, dico ad minorem quod etiam divina lux producit lucem spirituales a se naturaliter differentem, puta angelicum naturam. Ad secundum dicendum quod maior illa intelligenda est non de natura, sed de supposito. Quomodo autem suppositum Filii sit perfectum, cum tamen non possit alium Filium generare, inferius parebit, cum de omnipotentia Filii tractabo. Ad tertium dicendum quod maior est intelligenda de agente naturali; Deus autem agit ad extra per intellectum et voluntatem. Et quia potentiae rationales sunt ad apposita, ergo diversitas productorum non arguit diversitatem Deorum, licet posset dici quod arguat diversitatem rationum producendi, puta diversas ideas in mente divina, iuxta illud Augustini 83. quaestione²⁶ *Alia ratione conditus est homo, et alia equus, et sic de aliis*. Ad quartum dicendum quod Proclus modo Platonis ponit ordinem Deorum, sive idearum separatarum iuxta ordinem entium. Hoc autem nos negamus. Dato tamen quod ita esset, adhuc tamen omnes illi dii participarent uno summo Deo, qui erat Deus bonitatis et unitatis, sicut idem Proclus ponit, et nos appellaremus illum verum Deum. AD ARGUMENTUM principale dicendum quod scire Deum esse, non est scire esse Dei. Sed terminis praesuppositis est scire hanc propositionem esse veram, Deus est, quia scito quid importatur per terminos, immediate dinoscitur, quod hoc praedicatum est de essentia illius subiecti.

Clara distinctaque subdivisio secundae particulae secundae principalis huius distinctionis, in qua Magister divinarum Personarum Trinitatem utriusque canonici instrumenti testimonio comprobatur.

PERSONARUM QUOQUE PLURALITATEM, etc. Postquam Magister declaravit divinae essentiae unitatem, hic nititur probare personarum pluralitatem, seu trinitatem. Et dividitur in

²⁶²⁶ Quaest. 46

duas partes, quia primo hoc facit auctoritatibus Veteris Testamenti; secundo auctoritatibus Novi Testamenti, ibi: *Nunc vero prius testimonia*. Prima in duas, quia primo ostendit personarum divinarum pluralitatem, non exprimendo nomina personarum. Secundo, exprimendo aliququaliter nomina earum, ibi: *Nunc ergo ad propositum*. Et haec in duas, quia primo adducit [94b] * auctoritates sonantes divinae essentiae unitatem et personarum realem et vocalem distinctionem. Secundo, manifestat huiusmodi distinctionem, tangendo personarum divinarum processionem. Secunda pars incipit ibi: *David quoque*. Et haec in duas, quia primo manifestat propositum per filii generationem. Secundo, per Spiritus Sancti processionem, ibi: *De Spiritu Sancto etiam expressa*. Hic quaero.